



15/55
DISSERTATIO JURIDICA,
DE

23 22
1692

CONDITIONIBUS

Sponsalium, Contractuum &
ultimarum voluntatum,

Quam

AUCTORITATE MAGNIFICI ELECTORUM ORDINIS,
IN ACADEMIA PATRIA,

PRÆSIDE

DECANO SPECTABILI,

VIRO

PRÆ-NOBILISSIMO, EXCELLENTISSIMO, CONSULTISSIMO
AMPLISSIMIQUE NOMINIS

DNO. JOHANNES CHRISTO-
PHORO *Bolgen* /

J. U. D. & P. P. Ordinario longè celeberrimo, Serenissimi ac
Potentissimi Principis Electoris Brandenburgici Supremi in Prussia
Appellationum Judicii Consiliario, ut & Judicii Ecclesiastici
Sambienſis Præſide,

Patrono & Promotore ſuo æternùm devenerando,

PRO RITE OBTINENDA

IN JURE LEGENDI FACULTATE,

Publicæ & placidæ Eruditorum cenſuræ ſubmittit

Ad diem 18. Februar. Ao. 1692. H. L. Q. C.

JOHANNES HENRICUS *Hoyer* /
Juris utriusque Candidatus.

REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.

INCLITÆ ET FLORENTISSIMÆ REIP. LÖBNICENSIS
PATRIBUS LAUDATISSIMIS,

VIRIS

*Præ-nobilissimo, Nobilissimis, Amplissimis, Consultissimis,
multoq; rerum usu & laude reipublicæ sapienter
beneg; gesta clarissimis*

DOMINO CONSULI,
DOMINO PROCONSULI,

Cæterisq;

DNIS. DNIS. SENATORIBUS,
ut &

DNO. SECRETARIO,

Patronis suis & Promotoribus magnis

Q Vos studiorum meorum palato vestro jam offero fructus, insipidi
fortè & austeri adhuc sunt. Solo enim hactenus sterili parum-
que felici succreverunt, & horridis magis Aquilonibus, quàm blandè
spirantibus Austris ad immaturam pervenère maturitatem. Sequen-
tur tamen cum tempore maturiores, sequentur & sapidiores; date
modò imposterum facilem humum, date Favonios faventes, date &
cælum clementius sereniusque. Interim primitias has benevola ma-
nu menteque serena accipite, memores, Diis quoque exiguo farre li-
bari, & magnis Indorum Regibus inter prima adepti sceptri munera,
paucula numerari poma. Ita rogat, ita orat

*Vestrarum Vestrarum Nobiliss. Nobiliss.
Amplitud. Amplitud.*

Observantissimus Cliens

JOHANNES HENRICUS HOYER,
J. U. Candidatus.

I. N. J.

§. I.



Amplissimam conditionum materiam paucis qui complecti vellet pagellis, is ausu planè infelici & vano Oceanum exigui torrentis alveo includere præsumeret; nos ergo cum temporis aliarumque rerum ratio breves nunc esse jubeat, nobilissimam hanc materiam haud integram exhibebimus, sed contenti erimus vel leviter saltim eam in sponsalibus, contractibus & ultimis voluntatibus delibasse.

§. II. Nucleum verò putaminibus præferentes otiosa *ὀλιγονυμίας*, *συνονυμίας*, & *ἐπιμολογίας* tractatione in fronte statim operis supersedemus, satis gnari rem hanc Criticis & Grammaticis magis, quàm Philosophis & Jctis curæ cordique esse; præsertim cum, si qua supereff in voce ambiguitas, eam facilè sequens conditionis definitio tollere valeat.

§. III. Commodissimè scilicet conditionem definiri posse putamus per adjectionem casus futuri, à cujus eventu actus suspenditur. Juvant hanc definitionem *l. 39. de R. C. l. 10. §. 1. de Condit. Instit. §. 4. J. de V. O.* Patet itaque duo ad veram & propriè dictam requiri conditionem, dilationem & casum, sive incertum eventum. Unde porrò omne adjectum, quod non differt rem in futurum & quidem incertum eventum, pro genuina conditione haberi nequit. Incertum autem hoc loco eventum appello, de quo dubium est, an extiturus sit nec ne? v. c. si navis ex Africa venerit, si Capitolium ascenderit.

§. IV. Definitionem excipit divisio, quæ varia & multiplex existit. Est enim conditio (1) alia tacita, alia expressa. (2) Alia possibilis, alia impossibilis, hæc iterum vel natura, vel lege, vel facto talis, illa vel potestativa, vel casualis, vel mixta (3) Alia quæ substantiam actus, alia quæ accidentia ejus concernit. Tandem (4) alia necessaria, alia accidentalis. Verùm cum necessaria conditio, eò quòd ordine naturæ necessariò existat, obligationem vel actum in futurum incertum casum differre nequeat, hinc nec conditionis propriè dictæ nomen sustinere poterit. Quam ob rem Ulpianus quoque Jctus in *l. 9. §. 1. ff. de novat.* expressè ait, qui sub conditione stipulatur, quæ omninò extitura est, purè videtur stipulari. Et DD. communiter sponsalia sub necessaria conditione contracta pro puris declarant, quibus etiam adstipulatur *Jus nostrum Prutenicum l. 2. T. 1. A. 3. §. 4.*



§. V. Cunctas modò allatas divisiones suis & definitionibus explicare, & exemplis illustrare nobis jam incumberet; nisi passim hæc in Jctorum Commentariis prostant, & vel tyronibus Juris notissima forent. Facere tamen non possumus, quin circa primam divisionem tribus, ut ajunt, indigemus verbis, præter cæteras plures causas, diem etiam & demonstrationem parere quandoque conditionem tacitam. De demonstratione id tunc procedit, cum ea ipsa in futurum collata est v. g. Stichum qui meus erit, cum moriar heres meus dato *l. 6. ff. de leg. 1.* Circa diem verò adjectum cautè distinguendum inter certum & incertum, non ille sed hic tacitam operatur conditionem, quamvis nec omnis incertus dies hunc effectum producat, sed ille qui vel simpliciter incertus est, vel ad minimum ita comparatus, ut dubium existat, an exiturus sit, licet tempus, quò existet, minimè ignoretur *l. 21. pr. ff. quand. dies legat.* ille verò dies incertus, de quo certum est, quod sit exiturus, ignoratur autem quando, non habetur in contractibus pro conditione *arg. l. 16. § 17. ff. de condi. indeb.*

§. VI. Accingimus ergo nos ad primum dissertationis nostræ caput, nempe ad conditiones sponsalibus apponi solitas: Quid sint sponsalia docet Jctus Florentinus in *l. 1. ff. de sponsal.* scilicet quod sint *mentio & repromissio futurarum nuptiarum.* Quotuplicia verò ea sint hîc tradere opus non habemus, cum hac vice unicam saltim sponsalium divisionem, qua in pura & conditionata dispescuntur, aliquantò curatius simus perlustraturi. Facile verò intellexerimus pura sponsalia, si conditionata priùs benè cognita & perspecta habuerimus. Pro quorum meliori determinatione notandum est, quod duplicis generis in sponsalibus sese offerant conditiones, aliæ quæ verbis contrahentium inducuntur, aliæ quæ vel sui natura vel potestate legum citra spondentium pacta aut verba sponsalibus insunt, quarum illæ à nonnullis externæ, hæ internæ appellantur.

§. VII. Jam non posterioris sed prioris generis conditiones sponsalia efficiunt conditionata, cum internis conditionibus nec maxime pura sponsalia destituantur. Ut hinc ex adductis sponsalia conditionata sic defini commode queant, quod sint mentio & repromissio futurarum nuptiarum facta sub conditione verbis spondentium adjectâ. Ex qua definitione simul etiam patet, quod pura sponsalia contrariò sese habeant modo, & non contineant conditionem verbis spondentium adjectam, sed potiùs pure sint contracta.

§. VIII.

§. VIII. Inter conditiones sponsalium internas vulgò virginitatem incorruptam DD. collocant. Quid ergo num repudio locus erit, si virginitas sponsi, sponsæve ante vel post sponsalia læsa fuerit? Et quidem res difficultate caret, si alteruter sponsorum fœdis cum tertio tertive libidinibus post sponsalia sese inquinaverit. Quodsi enim matrimonium jam consummatum per supervenientem illicitam Venerem dissolvi potest, quantò expeditius id procedet in sponsalibus, ipso sic concludente Pontifice *in c. 25. x. de jurejur.* Neque hîc privilegium aliquod sponsus allegare potest; eandem quippe fidem, quam sponsa sponso, sponsus quoque sponsæ debet, *c. 2. caus. 32. quest. 6. Gl. 5. C. de sponsal.* At si alteruter sponsorum ante sponsalia virginitatis suæ florem corruperit, non æquè quid statuendum in proclivi est. In Jure namque Canonico duos habemus textus pro validitate ejusmodi sponsaliorum insigniter militantes, nempe *c. un. circa finem caus. 29. quest. 1. Et d. c. 25. x. de jurej.* Sunt quoque DD. haut incelebres, qui hîc privilegium aliquod sponso præ sponsa concedunt. Communiter tamen Præctici testantur contrarium praxi receptum esse tam in persona Sponsi quam Sponsæ, & dissolvi ejusmodi sponsalia, si pars innocens nocenti gratiam delicti habere nolit. *Carpzov. L. 2. Jurispr. Consist. T. 10. def. 186. Richterius Volum. 2. Consil. 510. Struve in Syntagm. Jurispr. Exercit. 29. th. 14. Hahnus ad Wesembecii paratit. de rit. nupt. n. 8. Quibus omnibus Jus quoque Prutenicum accedit. L. 2. T. 4. A. 2.*

§. IX. Ad hanc classem quoque referri solet hæc conditio: Si parentes consenserint. Tralatitium enim est de Jure Civili liberorum in sacris parentum constitutorum nuptias sine parentum consensu perfici non posse, quod etiam praxis & Jus nostrum Prutenicum *L. 2. T. 1. A. 1. §. 1.* recepit, àdèd quidem, ut non patris tantum sed & matris requiratur consensus, hocque jure liberi tam in patria potestate existentes quàm emancipati uti teneantur per alleg. textum Juris Prut. & tradita, *Carpzovii. Lib. 1. Jurispr. Consist. T. 3. definit. 44. & 49.* Quamvis si quid de jure naturæ verum sit quæras, cum *Grotiô L. 2. de J. B. & P. c. 5. §. 10.* defendi possit, parentum consensum non requiri ad essentiam matrimonii liberorum, quocum etiam conspirat Jus Canonicum *c. 2. caus. 27. qu. 2.*

§. X. Ecquid itaque juris si ad tacitam hanc conditionem accesserit copula carnalis, numne parentum dissensus consummationem matrimonii impedire potest? Hanc litem si ex principiis Jris Civilis componere vellemus, affirmativa apricante sole clarior foret, cum vel unicus *§. 12. J. de Nupt.* satis superque doceat, quod omnis venerea liberorum.

conjunctio insciis parentibus facta pro mera scortatione habenda sit; scortationi verò justorum sponsaliorum effectum tribuere velle res perquam absurda foret. Praxis tamen in contrarium nititur teste *Carpz. d.l. T. 3. def. 60.* quo etiam inclinatur Jus nostrum Prutenicum alleg. *Lib. 2. T. 1. §. 4.*

§. XI. Huc tandem spectant desponsationes impuberum, nam & hæc sub hæc fieri conditione intelliguntur, si puberes facti ratihabuerint. Integrum enim omninò hujusmodi personis est, cum pubertatis annos attingerint, sponsalia tempore impubertatis suæ contracta vel ratihabere vel improbare, atque sic vel mutuo vel alterutrius dissensu ab iis recedere, quæ constans hodiè praxis est, & non tantùm à *Carpz. loc. alleg. T. 10. def. 174. n. 5.* docetur, sed etiam à *Jure Prutenico l. 2. T. 1. A. 4.* per totum præscribitur. Non possumus hîc sicco præterire pede notabilem Juris Canonici hæc in materia antinomiam, quæ reperitur inter *c. 1. §. 8. x. de despons. impub.*

§. XII. Sed relinquimus internas sponsalium conditiones, & ad externas tanquam instituti nostri magis proprias nos convertimus. Hæc ipsæ sunt vel possibiles vel impossibiles. Prius de possibilibus post de impossibilibus agemus. Cujuscunque verò generis sit conditio possibilis licet & rectè sponsalibus adjici potest cum hoc effectu, ut obligationem suspendat. Conditionis enim natura est, ut actum differat, nihilque in esse ponat *l. 213. ff. de V. S.* Unde conditione demum existente ejusmodi sponsalia rata & firma sunt, deficiente verò & ipsa deficiunt ac evanescent. quasi nihil promissum fuisset.

§. XIII. Hoc tamen non ita intellectum volumus, quasi pendente conditione liceat alterutri parti invita altera poenitere, & à sponsalibus recedere, atque ad alia convolare. Minimè. Quodsi enim in contractibus pendente conditione haud licet poenitere, sed conditionis eventus expectandus est *l. 9. §. 1. §. 1. ff. qui pot. in pign.*, quantò magis id asserendum erit de sponsalibus & conjugio, cui sacri divinitus character impressus est, quæque rem conscientiae constituit. Hinc mirari satis non possumus Pontificem, quid in mentem ipsi venerit, ut *in cap. un. de sponsal. in VI.* sponsalibus conditionatis prætulerit subsecuta sponsalia pura. Sententiam nostram communiter DD. & praxi receptam testatur laudatus sæpè *Carpz. T. 2. def. 21.*, quocum etiam facit *Jus nostrum Prutenicum L. 2. T. 1. A. 3. §. 5.*

§. XIV. Sunt nihilominus certi modi, quibus sponsalia conditionata possunt degenerare in pura (1) si verbis de præsentis h. e. purè & simpliciter prolatis reiterentur *c. 5. x. de condit. appos. in despons.* (2) si copu-

copula carnalis accesserit, per hanc enim à conditione recessisse creduntur sponsi *diēt. cap. 5.*, quicquid etiam communissimæ huic praxi & opinioni oggerat *Brouwerus in tract. de jur. Connub. cap. 21. circa finem*, (3) si renunciaret conditioni is, qui eam apposuit, quod facere ipsi invita quoque altera parte licet, cum notissimi juris sit, quod cuivis integrum sit favori pro se introducto renunciare *l. 29. C. de pact.*

§. XV. Sed quid dicendum de sponsalibus sub conditione potestativa negativè conceptâ contractis? v. g. ducam te uxorem si in arcem non ascenderis. Et ꝑ. quod ejusmodi conditionis adjectio planè inutilis sit, ipsaque vitiet sponsalia non minùs, ac si quis dixerit, ducam te uxorem, cum morieris. Refertur enim in id tempus obligatio, quo nasci nequit, cum toto vitæ tempore quis in arcem ascendere queat. *Brouwerus cit. ant. loc. n. 28.*

§. XVI. Sequuntur jam impossibiles conditiones tam naturâ quàm lege tales. De utrisque sic definit Pontifex Gregorius IX. *in cap. ult. x. de condit. appof. in despons.* Si conditiones, inquit, contra substantiam conjugii inserantur, puta si alter dicat alteri: *contrabo tecum, si generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam honore vel facultatibus digniorem, aut si pro questu adulterandam te trad. is, matrimonialis contractus, quantumcung, sit favorabilis caret effectu. Licet alie conditiones appositæ in matrimonio, si turpes vel impossibiles fuerint, debeant propter favorem ejus pro non adjectis haberi.* H. I. Quam sententiam communiter etiam DD. recipiunt, & amplectuntur, prout videre est apud *Carpz. diēt. sæpius tract. Tit. 2. def. 23. & Zieglerum in Comment. ad Lancelloti Institutiones lib. 2. T. 10. §. 9.*

§. XVII. Recentiores tamen aliqui, quos inter eminent *Struve loc. supra cit. §. 6. & 7.*, quaslibet conditiones impossibiles sponsalia vitare statuunt, eò quod in his omnibus appositis conditionibus contrahentium consensus deficiat, qui tamen maximè in sponsalibus requiritur, prout fatis supra adducta sponsalium definitio id declarat. Et hæc quoque sententia si secundum juris rectæque rationis principia examinetur, priori longè melior est probatiorque.

§. XIX. Paria ob parem rationem dicenda veniunt, de conditionibus factis impossibilibus, perplexis atque derisoriis, quarum exempla videbis *in l. 16. ut & l. 6. & 20. ff. de hered. instir.* Quodsi enim ullibi animus serius, ut & sensus verborum certus atque perspicuus requiritur, certè in sponsalibus & matrimonio; quippe quæ res non tantùm sacræ, sed & tanti momenti, ut inde reliquum vitæ fortisque nostræ omnis momentum

tum pendeat, prout id ipsum *sapientissimus Magnæ Britannie Rex Jacobus I. filio Principi Henrico in dono suo regio præclare ostendit. Ille quoque qui facto impossibilem conditionem sponsalibus adjicit, tantum abest, ut consensum suum præstet, ut potius eo ipso evidenter nimis disensum manifestet. Sed sufficiant hæc de sponsalibus dixisse.*

§. XIX. Transimus ad materiam contractuum sponsalibus valdè affinem, adè ut etiam à non paucis, & quidem haud infimi ordinis JCtis sponsalia & matrimonium pro contractu habeantur, quorum tamen sententiæ accedere non possumus. Contractus ergo omnes recipiunt conditionem, inque iis tam expressæ quàm tacitæ, ut & omnis generis possibiles conditiones locum reperiunt. Hæ ipsæ porrò possibiles conditiones duplici modo contractibus adjiciuntur, vel affirmativè vel negativè. Priùs de priore modò.

§. XX. Scilicet possibiles conditiones affirmativè contractibus adjectæ suspendunt obligationem, ita ut pendentibus iis nihil debeat, impletis verò perinde habeatur, ac si ab initio purè debitum fuisset, at deficientibus, quasi nulla unquam fuisset obligatio *l. 213. ff. de V. S. l. 26. ff. de condit. instit. l. 5. §. 2 ff. quand. dies. legat. ced.* Unde etiam fit, ut pendente conditione solutum conditione indebiti repeti queat *l. 16. ff. de condit. indeb.*

§. XXI. Est adhuc alius effectus harum conditionum, quod spem in heredes transmittant *per §. 4. f. de V. O.*, ita quidem, ut si pendente conditione stipulatori vel promissori humanitus aliquid contigerit, obligatio adhuc in suspenso maneat, posteaque existente conditione actio & ab hæredibus & contra hæredes incipere possit. Qua in re insignis differentia est inter conditionalia legata & conditionales conventiones, quippe illorum spes in hæredibus non transmittitur, prout infra patebit. Cujus diversitatis genuina hæc est ratio, quod in contractibus non nobis tantum sed & heredibus nostris prospectum velimus *l. 9. ff. de probat. & præsumpt.*; in legatis vero Testator legatarii tantum personam ex singulari in ipsum affectu respexisse creditur. Intelligendum hoc tamen de sola conditione casuali non verò potestativa juxta communem DD. sententiam.

§. XXII. Jam supra §. 13. hunc quoque effectum conditionis contractui appositæ intimavimus, quod pendente ea non liceat alterutri contractuentium invito altero poenitere, & à conventionem recedere. Eventus ergo conditionis expectandus est, & implemento subsecuto satisfaciendum conventioni. Hinc etiam expressè cautum in *l. 85. §. ult. ff. de V. O.*

ut

ut is, qui sub conditione obligatus est, si curaverit, ne conditio existeret, nihilominus obligetur. Quod verò pendente adhuc conditione integrum sit mutuo ab ea recedere dissensu extra omnem est positum dubitationis aleam, cum nihil tam naturale sit, quàm eo genere quid dissolvi quò colligatum est *l. 35. ff. de R. J. Conf. § 6. ult. J. quib. mod. toll. oblig.*

§. XXIII. Non eosdem effectus habent conditiones possibiles negativæ, sed potestativæ statim pariunt obligationem, actionem verò tunc demum, cum certum est contraveniri ampliùs conditioni non posse. Hinc §. 4. *J. de V. O.* stipulatio hæc: si in Capitolium non ascendero, dare spondes? comparatur huic stipulationi dare spondes cum moriar? Scilicet hoc in casu dies quidem statim cedit, sed non venit priùs, quàm tempore mortis stipulantis præsentis, ejusque hæredibus tunc datur petitio ejus, quod ita promissum erat. Ut ergò si rem benè intueamur, conditio ejusmodi propriè dictæ conditionis nomen non sustineat, cum contra *leg. 213. ff. de V. S.* exactionem non verò obligationem suspendat.

§. XXIV. Porrò Contractibus vel una vel plures, & hæ iterum vel copulativè vel disjunctivè apponuntur conditiones, de quibus sic jure dispositum est, ut copulativè adjectæ conditiones omnes impieantur, ex disjunctim verò positis sufficiat unam impleri vel existere *l. 129. de V. O.* Fit etiam haud rarò, ut conditiones contractuum conferantur vel in merum promissoris arbitrium dabo si voluero, si putavero, quæ collatio inutilis est *l. 46. §. fin. ff. de V. O.* cum non adstringat promissorem necessitate, licet hæc stipulatio dabis cum volueris valeat modò promissor ante mortem constituat *d. l. 46. §. pen.*, vel in stipulantis voluntatem, dabo si volueris, quæ stipulatio utilis est, modò suam stipulans voluntatem ante supremum diem declarat *arg. 69. ff. de condit. § demonstr.* vel in arbitrium tertii v. c. dabisne si Titius voluerit, quæ stipulatio si arbitratus fuerit Titius valet; ipso autem non arbitrante evanescit. *l. 44. ff. de V. O.*

§. XXV. Tandem haud infrequenter accidit, ut contractus conditionales pœna adjecta muniantur, cujus effectus est, ut si conditio non impleatur, pœna promissa solvatur. Adjicitur verò pœna vel uni conditioni vel pluribus, & his vel affirmativè vel negativè, utrisque iterum vel alternativè vel copulativè conceptis. De singulis breviter. Si uni conditioni adjicitur pœna, res in vado est, v. g. si non ascenderis Capitolium, 10. dabis, tunc enim non impleta conditione, cum commodè impleri potuit, committitur stipulatio. Sin verò pluribus conditionibus pœna adjiciatur, tunc pro diversis casibus diversum quoque jus obtinet. Quod si
B
enim

enim negativæ fuerint conditiones, sive alternativa, sive copulativa reperia-
tur oratio v.g. si fundum & Stichum non dederis 100. dare spondes? item
si aut fundum aut Stichum non dederis 100. dare spondes? utroq; in casu
omnes conditiones implendæ sunt, nî commissâ dicatur stipulatio *l. 13. §. 2. ff.
de reb. dub.* sin autem affirmativæ fuerint v.c. Si hoc aut illud feceris, vel i
hoc & illud feceris, item si quid eorum factum, quæ ut non fierent com-
prehensa sunt, decem dare spondes? tunc semper committitur stipulatio,
si vel unum aliquod eorum factum fuerit. *d. l. 13. §. 3. ff. de reb. dub. &
d. l. 129. de V. O.*

§ XXVI. Prolixius hæctenus, quàm quidem constitueramus, de con-
ditionibus contractuum possibilibus disseruimus brevibus nunc expediamus
conditiones impossibiles. Hæ cum in duplici sint differentia vel naturâ
vel lege tales, & vel affirmativè vel negativè concipiuntur, hinc de singulis
singulatim paucissima dicemus. Natura impossibiles conditiones affir-
mative conceptæ vitiant contractum, negativæ verò habentur pro non
adjectis & obligationem reddunt puram §. 10. *J. de inutil. Stipul.* Tur-
pes seu lege impossibiles conditiones sive affirmativæ sive negativæ fuerint
vitiant contractum §. 23. *J. d. r. §. 1. 7. §. 3. ff. de pact.* Quid de condi-
tionibus factis impossibilibus, perplexis ac similibus dicendum sit ex ad-
ductis amplius dubium esse nequit. Facto enim impossibiles eandem di-
stinctionem recipiunt, quæ natura impossibiles, & cum perplexarum con-
ditionum exitus reperiri nequeat, hinc inutiliter adjiciuntur.

§. XXVII. Supereft adhuc tertium dissertationis nostræ caput,
quod in tribus potissimum versatur in institutionibus, substitutionibus &
legatis. Primò videamus de conditionibus institutionum. Et quidem
hæredem extraneum sub cujusvis generis possibili conditione institui
posse, certi hæctenus juris fuit, & clarum nimis est. *ex l. 68. ff. de hered.
insti.* modò non hæredis institutio expressè in tertii arbitrium confera-
tur *d. l. 68.* Suus verò hæres non sub alia, quàm potestativa conditione
institui potest *l. 4. ff. eod.* nisi in defectum casualis aut mixtæ conditionis
exhæredatus fuerit *l. 4. C. de insti. & substit.* Id quod jure veteri in so-
la filii persona procedebat, reliqui autem liberi etiam si sui hæredes fo-
rent, nihilominus tamen sub casuali & mixta institui poterant *arg. d. l. 4.*
eò quòd impune præteriri poterant *pr. J. de exhered. lib.* At jure novo
nec hi amplius sub alia quàm potestativa conditione institui queunt, eò
quod parentibus non liceat amplius eos præterire *l. 4. in fin. C. de lib.
præterit.* Jure tandem novissimo idem jus habent omnes illi, qui ne-
ces-

cessario vel instituendi vel exheredandi sunt vid. *N. 115. c. 3. § 4.* secus enim præteriti viderentur.

§. XXVIII. Quod adeò verum esse credimus, ut heredibus hisce adscriptæ conditiones casuales & mixtæ totum testamentum reddant nullum quoad heredis institutionem, nihilquicquam obstantibus *l. 30. § 1. 32. §. 1. C. de inoff. testam.* Cum enim illi amplius præteriri nequeant, sed nominatim vel instituendi vel exheredandi sunt, & si secus fiat testamentum sit ipso jure nullum, conditiones verò memoratæ importent præteritionem, sequitur ejusmodi testamentum ipso jure nullum esse, & subsistere neutiquam posse. A vero igitur abhorret illorum opinio, qui statuunt hodiè suum hæredem sub omni conditione in eò, quod legitimam excedit, institui posse.

§. XXIX. Quid verò si filius sub potestativa conditione institutus non pareat conditioni. Hoc in casu interest, utrum solus an verò cum alio cohærede aut substituto sit institutus. Priori in casu aut talis est conditio, quæ ultimo etiam vitæ tempore impleri possit, aut talis, quæ secus se habet, priori conditioni si non pareat, tunc neque ipse neque heredes ejus ab intestato succedere possunt; non ipse quoniam quoad vivit adhuc impleri potest conditio, non heredes, quoniam ad filium nondum devoluta hæreditas ad nepotes transmitti nequit. Sin posteriori non pareat, res ad causam intestati recidit, quoniam certum est conditionem impleri non posse, & sic testamentum deficit. Altero in casu filio non parente conditioni admittitur substitutus vel cohæres. *l. 4. in pr. ff. de hered. instit. l. ult. ff. de condit. instit.* Dicta tamen limitationem hanc recipiunt; dummodò talis conditio potestativa sit, per quam legitima non minuatur, aut onus vel mora ei imponatur, ob *l. 32. C. de inoff. testam. Bachov. ad Treutl. Vol. 2. Disp. 11. tit. 3. lit. D.*

§. XXX. Instituitur porrò hæres vel sub una vel sub pluribus conditionibus. Plures conditiones institutionibus vel conjunctim vel disjunctim apponuntur. Priori in casu omnibus parendum est, posteriori sufficit cuilibet obtemperasse §. 11. *J. de hered. instit.* Utroque tamen in casu non tam verborum dispositio, quàm voluntas Testatoris inspicienda est, ex qua sæpe disjunctiva pro conjunctis & vice versa accipiuntur, ut monet *Jctus Paulus in l. 53. ff. de R. J.* Exemplum suppeditat *l. 6. C. de instit. & substit.*

§. XXXI. Quod conditiones impossibiles concernit, eodem jure censetur testamenta, legata & fidei commissa §. 10. *J. de hered. instit.*

Scilicet conditiones impossibiles sive lege sive natura tales vitiant sui hæ-
 redis institutionem *l. 15. ff. de cond. instit.*, in hæredis verò extranei in-
 stitutione habentur pro non adjectis *§. 10. j. de hered. instit. l. 1. § l. 14.*
ff. de cond. instit. Idem quoque obtinet in conditionibus derisoriiis *d. l.*
14. ff. de hered. instit. & quæ jurandi necessitatem imponunt *l. 8. ff. eod.*
§ l. 20. ff. de condit. & demonstr. Remittitur autem solum in ultimis
 voluntatibus illa conditio jurisjurandi, perquam agitur, ut quis in futurum
 se daturum vel facturum promittat, uti patet ex alleg. *l. 8. de condit. in-*
stit. § l. 26. ff. de condit. & demonstr. idque ob metum perjurii, cum fu-
 tura difficile præstentur, imò sæpius præstari nequeant. Qui metus per-
 jurii cum in conditione jurandi quæ præterita respicit cesset, ideoque hæc
 in ultimis voluntatibus non remittuntur, v. c. Titio fundum lego, si ju-
 raverit, nihil dolo malo suo ibi se fecisse. Et de hæc conditione jurandi
l. 62. ff. de acquir. vel omit. hered. § l. 97. ff. de condit. & demonstr.
 intelligendæ sunt, Quamvis adhuc benè observandum sit, quod prior
 conditio jurandi ita remittatur, non ut hæres vel legatarius non faciat,
 quod jubetur in conditione facere, sed utne cogatur jurare se hoc factu-
 rum vel daturum esse *l. 26. pr. ff. de condit. & demonstr.* Perplexæ por-
 rò conditiones ob impossibilem eventum vitiant institutionem *l. 16. ff.*
de cond. instit. In facto tandem impossibilibus conditionibus idem ob-
 tinet, quod in simpliciter impossibilibus *l. 6 § l. 20. ff. eod.* à quibus ta-
 men conditiones difficiles cautè separandæ sunt, quæ inutilem reddunt
 institutionem heredis *l. 4. §. 1. ff. de stat. lib.*

§. XXXII. Pergimus ad substitutiones in quibus quatuor imprimis
 celebrantur conditiones, quæ totidem etiam substitutionum species gi-
 gnunt Sunt verò sequentes: si primo gradu institutus hæres non erit;
 si sius hæres impubes intra pubertatis annos decesserit; si hæ res in fu-
 rore vel alio morbo diem supremum clausit, & tandem si hæres quan-
 docunque vita functus fuerit. Ex his conditionibus nascuntur sequen-
 tes substitutionum species: Vulgaris, pupillaris, quasi pupillaris & milita-
 ris. Prima conditio si hæres non fuerit duas sub se comprehendit con-
 ditiones, si vel hæres esse nolit, vel non possit, quarum una expressa al-
 teram tacitè complectitur ob præsumptam testatoris voluntatem. Pari-
 ter in casu filii impuberis instituti conditio pupillaris continet vulgarem
 & viceversa *l. 4. in pr. ff. de vulg. & pupill. substit.* Porro conditio vul-
 garis & pupillaris expressa comprehendit tacitè quasi pupillarem *arg. l. 4.*
de vulg. & pupill. substit. Et denique quarta conditio & vulgarem &
 pu-

pupillarem complectitur *l. 15. ff. eod. § 1.8. C. de impub. & aliis substit*
Confer tamen Brunemannum in Comment. ad d. l. 8.

§. XXXIII. Legata & fideicommissa nihil aut parum in hac materia præcipui habent, nisi quod legata indistinctim sub omnibus conditionibus possibilibus, imò etiam pœnæ nomine relinqui possint §. *ult. l. de Legat.*, in reliquis eodem nî fallor cum hæreditatibus jure fruuntur. Cæterum de ultimis voluntatibus conditionatis duo adhuc monenda sunt (1) quod tam hæreditates quàm legata sub conditione non faciendi relicta statim post mortem testatoris vel aditam hæreditatem acquiri possint, præstitâ tamen prius cautione Mutiana *l. 18. ff. de condit. & demonstr.*, cujus hæc summa est, quod hæres vel legatarius restituere velit hæreditatem vel legatum iis, ad quos ea deficiente conditione pervenissent, si contraven-tum fuerit conditioni. (2) Quod in iis si moriatur hæres vel legatarius ante conditionis sibi adscriptæ existentiam non transmittat ad hæredes suos spem conditionis implendæ, sed hæc simul cum morte ejus extinguatur *l. 4. ff. quand. dies leg. § 1. un. §. 7. C. de caduc. toll.*

§. XXXIV. Ultimò jam de impletione conditionum agendum est. Qua in re ad duo potissimùm animus vertendus est, nempe ad modum & tempus implendæ conditionis. Quod modum attinet verbis præcisè inhærendum est, in tantum, ut quamvis aliter faciendo res videatur eadem, adhuc tamen verba sequenda *vid. l. 44. in pr. ff. de condit. & demonstr. § 1. 122. §. 4. ff. de V. O.*, impletaque ad præscriptum verborum conditione nihil amplius requiritur *l. 104. ff. de V. O.* Quodsi tamen conditio se habet ut via ad effectum, quem testator intendit, conditio apposita per æquipollens etiam impleri potest *vid. l. 11. §. 11. ff. de Leg. 3. l. 3. C. de instit. & substit. § 1. 16. ff. de usufr. leg. Conf. Brunemannum ad paratitl. Wesemb. de Condit. & demonstr. Q. 15.*

§. XXXV. Tempus quod concernit implendæ conditionis probè hic distingvendum est (1) inter Contractus & ultimas voluntates (2) inter conditiones affirmativas & negativas (3) inter casuales & potestativas. Videamus ergo priùs de contractibus, & quidem de conditionibus affirmativis. Hujusmodi conditiones s. adscriptæ fuerint personæ promissoris, v. g. decem spondes si Capitolium ascenderis, quodocunq; libet impleri posse, & tunc demum committi stipulationem evidens nimis est, idem quoque asserimus si stipulatoris personæ appositæ fuerint v. c. decem spondes si Capitolium ascendero arg *l. 99. in pr. ff. de V. O. l. 12. ff. de transact. § 1. 23.*

ff. de servit. pr. ed. urban. Sin verò conditiones negativæ vel promissoris vel stipulatoris personæ adscriptæ reperiantur, pro impletis tunc habentur, cum certum est adversus eas amplius peccari non posse. *l. 115. §. 1. § 2. ff. de V.O.* Quod tandem casuales conditiones quodocunque eveniant pro impletis in contractibus habendæ sint, per se patet.


§. XXXVI. In ultimis voluntatibus conditiones casuales ut & potestativæ natura sua haud reiterabiles vivo etiam testatore impleri possunt, quales v. g. sunt si navis ex Asia venerit, filia meæ cum nupserit vid. *l. 2. § 1. 10. ff. de condit. & demonstr.* Illæ verò conditiones potestativæ quæ reiterabiles sunt & alias promiscuæ appellantur, præcisè post mortem Testatoris impleri debent, nec sufficit eas vivo testatore impletas semel esse *l. 2. § 1. 11. §. 1. ff. eod.* Sed quæritur jam quo temporis spatio potestativa conditio post mortem Testatoris implenda sit? R. Distinguendo inter institutiones & legata. Si in institutione hæredi instituto adscripta sit conditio potestativa, v. g. Titius hæres esto si Capitolium ascenderit, in arbitrio hæredis est, quando velit implere conditionem *l. 4. ff. de hered. instit. & arg. l. 23. ff. de hered. instit.* In legatis apponitur conditio vel hæredi, v. g. hæres meus si Capitolium ascenderit decem dato, vel legatario Titio si Stichum manumiserit 100. lego, in persona hæredis conditio hæc impletur, quodocunque hæres Capitolium ascenderit, in persona autem legatarii quamprimum fieri possit, implenda est *l. 29. ff. de cond. & demonstr.* Rationem differentia cur hæres sub conditione potestativa institutus quando libet possit implere conditionem, legatarius verò non item, sed quam celerrime satisfacere debeat conditioni hanc affert *Donellus in Comment. Jur. Civil. lib. 8. c. 33.* quia in legato nulla est causa, cur legatarius legatum trahat, in hærede summa: quippe legatum nunquam, hæreditas ut plurimum damnosa. Confer. & *Brunnemann. in Comment. ad l. 2. 10. § 29. ff. de condit. & demonstr.*

§. XXXVII. In conditionibus potestativis ultimarum voluntatum negativis hoc peculiare est, ut etiamsi reverà non impletæ sint, pro impletis tamen præstita cautione Muciana habeantur, quâ de re supra in §. 33. diximus. Quid verò dicendum de Legato pœnæ nomine relicto & negativè concepto v. g. hæres meus si Capitolium non ascenderit 100. Titio dato, quando hoc & quo tempore implendum? R. Legatum hoc eodem jure centetur ac illud superius, hæres si Capitolium ascenderit, 10. dato sunt enim similia, nam & hoc toto vitæ tempore impleri potest, quò accedit

dit, quod pœnæ restringendæ non verò interpretatione iuvandæ sint. Quæ hæcenus de tempore implendarum conditionum diximus, intelligenda sunt de eò casu, quando nullum certum tempus vel in contractibus vel ultimis voluntatibus præfinitum est, intra quod impleri debeat conditio; quod si enim certum temporis spatium expressum sit, hoc quoque strictè observandum.

§. XXXVIII. Evenit tamen sæpe, ut conditio in contractibus & ultimis voluntatibus habeatur pro impleta etiam si reverà impleta non sit, quanquam hoc tantum de conditionibus potestativis non verò casualibus procedat, harum namque eventus præcisè expectandus est. Hac autem in re duæ observandæ sunt regulæ. Prima hæc est: quoties per eum, cuius interest conditionem non impleri, fit, quò minus impleatur, toties perinde habetur, ac si impleta esset, quæ regula totidem verbis extat in *l. 161. ff. de R. I. v. c.* stipulatus est Titius à Sempronio ita: Si centum dederò dabisne fundum tuum Tusculanum, tunc si 100. Titius Sempronio offert, & hic accipere nolit, conditio pro impleta habetur. Altera regula hujus tenoris est: Quoties per eum in cuius persona implenda est, conditio stat, quò minus impleatur, toties habetur pro jam impleta. Vel, Testator Titio 1000. legat, si Sempronio optimum equum dederit, Sempronius non vult accipere oblatum sibi equum, habetur ergo conditio pro impleta, *l. 5. §. 5. quand. dies legat. ced.* ubi allatæ regulæ iisdem ferè verbis exprimuntur.

§. XXXIX. Existente tandem & impleta conditione, tempus ejus retrotrahitur ad tempus contractus vel mortis testatoris, aut hæreditatis aditæ, perindeque habetur, ac si ab initio sine conditione vel contractum vel dispositum fuisset, mediique temporis fructus à possessoribus tunc restituendi veniunt. *l. 11. §. 1. qui pot. in pign. l. 8. ff. de per. & commod. rei vend. & arg. l. ult. §. 1. ff. de vulg. & pupill. subst.*
Et tantum hæc vice!



CO.

COROLLARIA.

I.

Jurisprudentiam veram & propriè dictam esse scientiam licèt non primæ, tamen secundæ, ut loquuntur, mensuræ solidis purioris Philosophiæ principiis edocti sumus.

II. Codicem & Institutiones Pandectis derogare apud nos dubio caret.

III. Legem injustam non esse veram & propriè dictam legem persuasi sumus.

IV. Usuras simpliciter juri naturæ adversas esse penitus cum incomparabili Grotio negamus.

V. Non credimus tamen Grotio rerum primævam adstruenti communionem, sed potiùs certi sumus sanæ rectæq; eam repugnare rationi.


VI. Distinctionem Procuratoris simpliciter, & cum libera dati non Jure tantùm Canonico sed Civili quoque fundatam esse defendemus.

VII. Bonæ fidei possessorem fructus jure bonæ fidei possessionis acquirere, & consumptos, etiamsi ex iis locupletior factus sit, non cogi restituere putamus.

VIII. Feudum nonnisi in rebus immobilibus, & quæ his annumerantur, de Jure Feudali Communi consistere posse autumamus.

IX. Feudum à Vasallo sine consensu Domini alienari posse ut credamus rationis est.

X. Imperium Romano Germanicum ex Monarchia & Aristocratia mixtum esse præponderante tamen Aristocratia cum Limnæo defendere tentabimus.



Königsberg, Piss., 1686-94

ULB Halle 3
004 356 780




R
H.

WMA







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

23 22
1692

IO JURIDICA,
E
IONIBUS

ontractuum &
voluntatum,

FICI FCTORUM ORDINIS,
IA PATRIA,
S I D E

PECTABILI,
R O
ENTISSIMO, CONSULTISSIMO
VE NOMINIS

NE CHRISTO-
Solzen /

e celeberrimo, Serenissimi ac
andenburgici Supremi in Prussia
rio, ut & Judicii Ecclesiastici
Præfide,

eternum devenerando,
BTINENDA
DI FACULTATE,

rum censuræ submittit
o. 1692. H. L. Q. C.
NRICUS Hoyer /

Candidatus.
REUSNERIANIS.

